

Appendix. — Europa Nro. 50.

Regnum Mortuorum.

Sermo Politicus.

De memoria praeteritorum. — Fuit, et non est amplius ita.

Elysium — Meum 7. Junii 1808.

Viginti annorum tristis melancholia. — Nec crucigerum debitorum solvere.

Proverb. Gallicum.

Fueramus ante 18. circiter annos adhuc populus jucundus; haec jovialis qualitas plane proverbio occasionem dedit: *semper jucundus, nunquam tristis*. Hodie sumus in perpetua anxietate; et propemodum ita tristes, et ita inquieti, sicut Angli. Vix aliud audimus, quam de imminentibus bellis, de populis male contentis, de incertitudine rerum, et de mille aliis fatalitatibus, quae venire deberent. Hic queritur unus sicut Jeremias, illic ejulat alter sicut Hiob, ex altera parte audit tertius gemitum totius mundi. Sed ad quid haec omnia? Quorsum nos talia deducunt? An hoc prodest? Quivis narrat suum anteriorem statum, et claudit suspirando: Ah non est, sicut fuit! Utique non est ita! Sed annon mundus semper fuit miseriarum vallis? Annon etiam Majores nostri continuo querebantur, ejulabant, et lamentabantur. Quaevis aetas habuit suos Jeremias, et suas Jeremiades; et in fine finali quid: *Viginti annorum tristis melancholia. — Nec crucigerum debitorum solvere.*

Horatius commenda nobis Recipe, quod nec arcanum, nec opium est, sed consistit in eo, ut quaeramus, *quid pure tranquillet*. Ephemerides Italicae, et Germanicae referunt Decretum Imperatoris Galliarum de 2. Aprilis, quod provincias status Pontificii Urbino, Ancona, Macerata, Camerino Regno Italiae adjungit. Nos jam identidem diximus opinionem nostram circa res Italiae; Decretum istud non est in officiosis paginis gallicis, et hoc nobis sufficienti argumento est, ne illud describamus. Dum in Europa adhuc magni eventus parantur, et unus alterum sequitur, liceat Cultori humanitatis felicem provinciarum Rhenani Foederis sortem solatiosis oculis intueri. Bavaria accepit constitutionem, quae eminenti ejusdem Gubernio honori

cedit, et populis felicia tempora promittit. Ita proficit, et crescit celeriter omne bonum in fundo Germanico.

In plerisque Rhenanae Confederationis provinciis adoptata sunt sublimia illa civitatum principia pro basi constitutionis, quibus iustitia et fortitudo civilis societatis innitur, utpote 1) Aequalitas jurium, 2) Aequalitas onerum, 3) Conscientiae libertas; in potioribus hujus foederis civitatibus principia haec durabilem etiam obtinuerunt garantiam in repraesentatione populi apud legislationem; sperandum, hanc etiam in aliis omnibus adoptandam fore. Si Germania sibi soli relicta fuisset, adoptatio, et applicatio horum principiorum non nisi post furiosas revolutionis scenas, et crudele bellum civile obtineri potuisset.

Nobilitas et Clerus coram lege stat in eadem linea cum omnibus civibus. Nativitas nobilitat nobilem, et cuius nobili patet via ad nobilitatem; sed haec distinctio non dat jus ad ignobilem immunitatem ab oneribus status, cuius prima fulcra Nobiles esse deberent; nec dat privilegium ad officia regni. Talenta, et virtutes duntaxat habent unice jus ad hanc distinctionem, et ad hunc eminentem characterem, quem ubique habere deberent. Ad necessitates Civitatis confert quisvis Civis a proportionem facultatum, et quisvis, qui pro sua persona, et quod possidet, protectione status gaudet, habet obligationem, ad ejus defensionem concurrenti. Haec sunt prima fundamenta politicae Societatis. Haec definiunt, quid quodvis membrum ab eadem praetendere possit, et conservatio ejusdem unius cuiusque aequaliter interest; haec igitur fundat honestatem, et fortitudinem ipsius. Haec principia in plerisque Civitatibus Rhenani foederis in legem fundamentalem transierunt.

Successive collabatur murus ille chinensis, qui magnam Germanorum Gentem in infinita fragmenta divisit, et ob diversitatem legum, administrationis Justitiae, mensurarum item, et ponderum, ac rei monetariae filium in domo paterna peregrinum effecerat. Constitutio Imperii Germanici poterat adhuc saltem dividere, et enervare, Confoederatio autem conjunget, et animabit. Creatio ergo Rhenani Foederis constituet in Historia Germaniae aeternum memorabilem Epocham. Haec est spes solatii pro quiete Germaniae, et toto Continente Europae. Bellum ad aquilonem est magis pro bello maritimo habendum. Pagellae Petropolitanae magni faciunt occupationem Insulae Gotthlandiae, quae si in potestatem devenisset Anglorum, magno Russiae esse potuisset praejudicio.

Res Hispaniae decidet indubie Junius, ad quod argumento est sequens officiosus articulus Bajonna de 28. Maii Junta (Est consilium pro interimali administratione regni)

conveniet 15. Junii, constabitque 150 Membris. Juxta circulares M. Ducis Montani abrogabit consilium hoc abusus, qui sub priori regimine in acervos adcreverunt, et exquiret media, publicam felicitatem reparandi. Imperator saepe solet navi visitare portum hujatem et ostium fluvii; tali occasione conscendit novissime navim tormentariam hispanicam, quae paulo ante ex S. Sebastiano venerat. Longiori tempore colloquebatur cum Capitano, et cum discederet, admisit eidem Capitano, ut ipsum ad palatium usque comitaretur, volens facto hoc testari existimationem, quam erga tales Navarchos haberet.

Parisiis 1. Junii: Ignoramus, ait Argus in suis postremis, fundamentum spei, quam Albion in amicitia Imperatoris Maroccanorum collocat, cujus neutralitas pro Anglia forte favorabilior esset, quam hostilitas cum Gallia, ex qua posterior haec potentia minus periculorum metuendum, quam commoda speranda haberet. Ephemerides Londinenses renovant iterum rumorem de revolutione in Russia. Hae fictiones Propogandistarum belli produnt sollicitudinem, quam foedus Russiae cum Gallia gubernio anglicano ingenerat, ideo putant, contra tales hostes non dari arma, nisi conspirationes, et pugiones; sed nec haec arma eis amplius proderunt; Relationes mutuae inter Galliam et Russiam postremo semialtero anno multum sunt mutatae; veneratio, et affectus personalis amborum Monarcharum ad invicem sunt forte nunc fortissima ligamina, quae duo haec Imperia jungunt. Zelotipia eorum mutua in veteri Europae statu, quae forte illa aetate, qua factionum una post aliam eidem fomentum addidit, naturalis erat, non amplius diu subsistet, cum nec causam, nec nutrimentum habeat. Sincera consociatio contra communem hostem vetus Germaniae sistema dissolvit, illud scilicet infaustum cerebri figmentum, quod Europa diu velut vadimonium pacis consideravit, et tamen ultra duo saecula sementum aeternorum bellorum fuerat.

Bellum ad Aquilonem.

Bellum apud nos, ita scribitur *Rendesburgo*, est pura praedatio piratica; Nec Angli quidquam momentosi adhuc fecerunt, 3000 Gallorum ab exercitu Principis *Pontecorva* penetrarunt successive in Seelandiam, effugientes vigilantiam Anglorum. In vicinia hac frequentia collocabuntur castra, unum ad *Fleusburgum*, alterum ad *Openrade*, et tertium ad *Colding*. Rex Sveciae Commendantem praesidii *Sveaborg*, et Officiales, qui illic fuerant, non declaravit in-

fames, ut ferebatur, sed tantum e servitio dimisit. — Rex Portugalliae mox ab adventu suo in Brassiliam instituit ordinem fidelitatis, quem multis ex Officialibus Anglicis, quum comitabantur, contulit.

Uxor et Maritus.

Precibus regnat uxor, imperio maritus.
Illa dum vult, hic — dum potest.

Genius populi Portugallici, dicunt Ephemerides Parisinae, est excellens, et per sapientes dispositiones omnia ex eo fieri possunt. Prima cura esse debet, populo amorem industriae infundere, quorsum omnes novi Gubernii tendunt dispositiones. Major pars habitatorum constat ex mendicis, sed mendicant cum solatio, quin serpent; ut merito dici possit, plus quam medietatem populi ex elemosina vivere; haec generalis morum depravatio provenit ex natura divitiarum; cum enim harum aquisitio nullo labore venerit, studebat quivis omnibus viis et modis pecunias acquirere, tantum non laborando. Vix advenerant thesauri ex Brassilia, distribuebantur cum gravitate inter domesticos otiosos, et externos laboratores, et quivis extendit manum pro elemosina, quin vel remotissimam ideam alicujus indecentiae cum hoc acquirendi modo conjunxisset; erat pars praedae, ex qua habiliores aliquantum plus, quam alii acceperant. Non raro erat videre homines de meliori classe ab gubernio pro solvendo censu, aut debitis pecuniis petere, quin aliud adduxissent motivum, quam quod hoc illis solatium adferat; saepe matronae de meliori classe cum famulis, ex pedissequis in publica platea flagitabant stipem. Haec depravatio tandem cessare debet. Nova Portugalliae regulatio excitabit industriam, et aemulationem. Artes et Scientiae propagabuntur, et mendicatio per providentiam Gubernii sensim cessabit. Haec sunt inaestinabilia beneficia, quae populus, in quo eximiarum qualitatum semen per lepida praesudicia, et erroneas dispositiones praefocatum est, per stremitis eventibus debet.

tum

gesta
nunc

simili
versu
diteri
que T
lia Sa
exhib
articu
centu
usus

tarun
tuo d
conte
degur
est pe
rum r

mecur
illa m
miner
Erant
Affric
fert. H
mani
bunt